



Clodoueus filius fuit Childeberti', nepos Merouei, pronepos Clodouei primi, & abnepos Pharamundi, qui primus Francorum in Galliam irruperat. Is post patrem ob plurimas corporis & animi virtutes magno omniū cōsensu Francorū rex electus fuit. Cum is adoleisset, Crothildim Gundobaldi regis Burgundionum ex fratre Chilperico neptem uxorem petiit. cum autem Christiana puella, quae multis corporis & animi dotibus erat praedita, ethnicum regem respueret, tandem Clodoueus pro connubio pactus, ut Christi annum nomine susciperet. Id tamen in aliud tempus distulit, atque nihilominus permisit, ut liberi eius ex eo matrimonio nati baptizarentur. postea uero Clodoueus Burgundijs bellum intulit. repetebatur enim pars regni a Gundobaldo, quae Chilperici, a fratre Gundobaldo occisi, fuerit, simulque etiam parricidij ultio querebatur. In eo bello Francus uictor extitit. Accisis itaque Burgundionum rebus, Crothildis inter maritum & patruum pacem confecit, ea tamen conditione, ut quicquid terrae inter Ligerim & Sequanam esset, Francis cederet, Burgundus ipse Helvetia, Sabaudia, & propriæ Burgundia dicta contentus esset.